

Impedimentum publicæ honestatis.

32. Hoc impedimentum aliter vocatur justitia publicæ honestatis; estque: Affinitas quædam imperfecta orta ex sponsalibus vel matrimonio rato. Ortum habet à jure Ecclesiastico *Can. 11. et seqq. 27. q. 2. c. 3. 4. 8. h. t. cap. un. eod. in 6. etc.*; quia publica honestas suadet, ut sponsus absteineat à nuptiis cum consanguineis sponsæ, et hæc cum consanguineis sponsi.

33. Q. XI. *In quibus casibus et gradibus publica honestas dirimat matrimonium?*

R. 1.º Jure novo Trid. S. 24. c. 4. *de ref. matr.*, publica honestas oritur ex sponsalibus validis, non verò ex quacumque causa invalidis: neque ultra primum gradum extenditur, v. g. Titius contraxit sponsalia cum Berta, adeoque matrimonium contrahere nequit cum ejus sorore, matre aut filia, bene verò cum nepte, consobrina, avia, etc. Hoc jure Trid. correctum est jus antiquum, quo publica honestas dirimens matrimonium oriebatur ex sponsalibus etiam invalidis, dummodò invalida non fuerint ex defectu consensus (*c. un. h. t. in 6.*), et extendebatur usque ad quartum gradum, sicut affinitas (*c. 8. de consang.*)—Porrò ut impedimentum hoc oriatur ex sponsalibus, hæc debent esse *pura* et non conditionata, *certa*, non verò incerta: ut si quis duabus sororibus promittat matrimonium; tunc enim ante eventum conditionis, vel electionem unius ex pluribus, nullum est impedimentum (*cit. c. un. h. t. in 6.*) Si sponsalia sint invalida ex causa fictionis, putat Sanchez et alii locum esse huic impedimento, quia, cum fictio sit occulta, perseveret publica indecentia obstans matrimonio. Navar., Gobat et alii contrarium probabilius tenent, quia Trid. generaliter dicit hoc impedimentum non oriri ex sponsalibus quocumque ex capite invalidis.

2.º Publica honestas ex matrimonio rato orta extenditur usque ad quartum gradum inclusivè: ità deciaravit S. Pius V. Const. incip. *Ad Romanum* 1568. 1. Jul. Nam Trid. loquitur solùm de publica honestate, quatenus orta ex sponsalibus; ergò circa honestatem publicam ex matrimonio rato ortam servatur etiam hodie jus antiquum, cum non reperiatur mutatum. Insuper sicut olim, ità hodie locus est huic impedimento, etsi matrimonium ratum purè et non conditionatè in initum, fuerit invalidum, v. g. ex causa consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis etc., dummodò non fuerit invalidum ex defectu consensus, v. g. propter metum, errorem personæ, revocatum mandatum procuratori datum etc. (*cit. c. un. h. t. in 6.*) Ex qua generaliter textus videtur sequi hodie impedimentum hoc oriri ex matrimonio clandestino, cum non sit invalidum ex defectu consensus, licèt oppositum probabiliter teneant Sanchez, Engl, et alii; quia talis contractus sine parrocho et testibus non habet figuram matrimonii, præsertim cum personæ à Trid. inhabilitentur ad sic contrahendum, atque ità non videantur consentire.

3.º Impedimentum publicæ honestatis est perpetuum, etiamsi sponsalia dissolvantur morte vel mutuo consensu (*Can. 11. et seqq. 27. q. 2. c. 8.*

h. t.); ità Sanchez, Laym. et communior DD. quam firmat declaratio S. Congr. 1658 die 6 Julii approbata ab Alex. VII, præcipiente id amplius in dubium non vocari, teste Fagn. et Gobat. Nam impedimentum hoc oritur ex sponsalibus semel validis, ut docet Trident. *l. c.*; sed talia fuerunt etiam illa, quæ mutuo consensu dissolvuntur; neque ex ullo jure constat, quòd dissolutis sponsalibus, vel matrimonio rato, etiam dissolvatur honestas publica inde nata; ergò. Oppositum docuerunt Gutier., Barbos, Engl. hic §. 6. n. 3. nixi quadam declaratione S. Congr.; sed huic declarationi, si tamen extitit, præferenda est cit. declaratio Alex. VII, præsertim cum meliori jure et ratione nitatur.

4.º Publica honestas non habet vim retroagendi (*c. un. h. t. in 6.*): ut si Cajus ineat sponsalia valida cum Berta, et deinde matrimonium ratum contrahat cum Titia ejus sorore, ex hoc matrimonio invalido non oritur impedimentum honestatis, et cons. Bertam in uxorem ducere potest; at si Cajus cum Titia fornicatus est, neutram potest ducere: non Titiam propter impedimentum publicæ honestatis ex primis sponsalibus ortum; non Bertam propter impedimentum affinitatis ortum ex copula fornicaria cum d. Titia.

De ceteris impedimentis agetur in seqq. titulis.

TITULUS II.

DE DESPONSATIONE IMPUBERUM. *

34. Q. I. *Quæ ætas requiratur ad sponsalia.*

R. 1.º Regulariter septennium completum (*c. 4. 5. 13. h. t. c. un. eod. in 6. et l. 14. ff. de sponsal.*); nam jus non præsumit usum rationis citius adesse, nisi completo septennio. Si tamen post septennium non adesset usus rationis, sponsalia jure naturali ex defectu consensus liberi essent invalida; quia ista præsumptio juris in facto fundata cedit veritati. Porrò cum versemur in materia obligatoria, probabilius septennium computandum est mathematicè de momento ad momentum (*arg. l. 3. §. 3. ff. de minor.*), ut non sit paritas ex *l. 5. ff. qui test. fac.* Nam ibi ultima dies anni 14 habetur pro completa; quia conditio testamenti merum favorem testatoris continet: econtrà sponsalia plura secum gravamina trahunt.

2.º Valent sponsalia à minore septennio inita, si malitia, seu potius prudentia suppetat ætatem, hoc est, si usus rationis acceleretur ante septennium; S. D. in *4. d. 27. q. 2. §. 2. S. Anton., Covar., Sanch. cum citt.*

a—Agitur de hac materia in *6. h. t.* et in Decreto 30. q. 2; et examinatur hic impedimentum ætatis, seu ætas requisita ad sponsalia et matrimonium, et quam necessarius sit consensus parentum ad matrimonium filiorumfamilias.

contra Abb., Ros., Engl., Schmier etc. Nam talia sponsalia jure naturali valent, cum adsit consensus: jure autem positivo nullibi irritantur, sed potius supponuntur valida *c. 3. de sponsal.*, ubi juvenis puellam nedum septennem duxit, et inde contraxit impedimentum publicæ honestatis; quod etiam jure veteri oriri non potuit, si sponsalia fuissent invalida ex defectu consensus. Ratio est, quia jus præscribit septennium ex sola præsumptione facti, quod usus rationis citius non adsit: ergo si usus rationis acceleretur, præsumptio ista cedit veritati; et consequenter sponsalia validè contrahentur: sicut matrimonium ante legale tempus, si pubertas citius adveniat (*cap. 9. h. t.*) Unde Jctus. *l. 14. ff. de sponsal.* ait: *In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est.* Ex quibus explicantur posteriora verba, forsàn à Triboniano addita, *si non sint minores, quàm septem annis:* hæc enim, uti et *cap. 4. 5. 13. h. t.*, disponunt præsumptivè, quod ante septennium non sit usus rationis.—Nec frustra ætas ista præscribitur; nam qui asserit sponsalia ante septennium inita fuisse valida, vel post septennium invalida, probare debet illic adfuisse, et hic defuisse usum rationis. Econtrà qui dicit sponsalia ante septennium esse invalida, et post septennium valida, propter præsumptionem juris relevatur ab onere probandi.

3.º Sponsalia impuberum ex beneficio juris non sunt firma; quia imbecillus est consensus eorum. Et—I. Si ambo impuberes contraxerunt sponsalia, durante impubertate, non possunt ea solvere, ne hæc facilè et temerè contrahantur et distrahantur; at si uterque simul, vel alter eorum citius ad annos pubertatis perveniat, statim uterque vel alter, non expectata alterius pubertate, resiliere potest à sponsalibus (*c. 7. 8. h. t.*) Si autem pubes factus statim (quod tempus mathematicè definiri non potest) non resiliat, censetur saltèm tacitè priora sponsalia ratificare; ac proinde ampliùs variare non potest.—II. Si pubes cum impubere sponsalia contraxit, pubes resiliere non potest; sed tenetur expectare alterum, donec ad annos pubertatis perveniat; qui si stare voluerit sponsalibus, efficaciter obligabit puberem ad matrimonium ineundum, *ibid.*; nam privilegium resiliendi solis impuberibus, non puberibus à jure datur. In illo tamen casu quo sponsalia propter reclamationem impuberis facti puberis resolvuntur, non cessat impedimentum honestatis publicæ, utpotè ex se perpetuum (*cap. 4. hoc tit.*) Probabile autem est, quod dissensus in impubertate factus, si continetur in pubertate, sufficiat ad solvenda sponsalia: quia ut ità continuatus æquivalet novo dissensui in pubertate elicito.—III. Sponsalia jurata ab impuberibus inita, non possunt à puberibus alterius consensu contrario dissolvi, *c. 10. de sponsal.*, ubi ratio datur, quia periculosum est contra suum venire juramentum, quod sine dispendio salutis servari potest. Notant tamen Perez, Laym., Reiff. et alii dispositionem istam procedere de impuberibus pubertati proximis: qui autem erant infantia proximi communem possunt sequi regulam; quod sicut à sponsalibus tanquam principali, ità etiam à juramento tanquam accesorio, resiliere possint. At mutuo consensu ambo puberes sponsalia jurata dissolvere possunt, ut dictum *tit. preced. n. 7.*

4.º Promissio matrimonii: à pubere infanti facta, vim habet simplicis promissionis: ità ut pubes promissor resiliere non possit: S. Ant., Decius, Sanchez etc. Nam promissio infanti facta non requirit personalem acceptationem, sed ab ipso jure statim acceptatur (*arg. lib. 5. C. de emancip. liber.*)—Nec obstant aliqua exempla personarum illustrium in contrarium facta; quia juribus, non exemplis judicandum est. Quòd si infantes post septennium promissionem acceptent et repromittant, aut sponsalia antea invalidè inita ratificent, adepto usu rationis, hæc convalescunt, ac si post septennium fuissent primò inita: Sanchez etc.

35. Q. II. *Quæ sit ætas legitima ad matrimonium?*

R. 1.º In masculo annus 14, et in fæmina 12, quo tempore à jure præsumitur advenisse pubertas, seu aptitudo ad generandum (*c. 6. 10. et 11. h. t.*) In fæmina minor ætas requiritur, quia fæminà, tanquam imperfectior, citius adolescit, seu fit viripotens et apta ad actus conjugales.

2.º Si malitia suppleat ætatem, hoc est, si aptitudo generandi præveniat tempus à jure præscriptum, valet matrimonium ante illud contractum (*cap. 9. h. t.*), quia hic præsumptio cedit veritati, dummodò constet de tali habilitate. In dubio tempus istud mathematicè computandum est: si verò post tempus legale contrahentes nedum sint habiles ad generandum, et contrahant, valet matrimonium; quia jus in hoc casu non requirit potentiam actu expeditam, sed aptitudinem generandi. Quòd si mas in plena pubertate 18 annorum generare nequeat, præsumitur impedimentum perpetuum, ratione cujus, servatis servandis, matrimonium dissolvi potest. Ceterum impuberes, nisi eos excuset causa urgentissima, contrahendo peccant graviter, quia violant præceptum Ecclesiæ in re gravi: et ideo Nicol. I. *c. 2. h. t.* dicit se districtius prohibere talia matrimonia.

3.º Dispensare in ætate ad matrimonium potest solus Papa, cum Episcopi sint inferiores jure communi, nec reperiatur facultas eis concessa ad ità dispensandum. Dispensati verò, antequam fiant habiles ad generandum, cohabitare non debet propter periculum incontinentiæ.

4.º Puella impubes desponsata viro, etsi traducta sit in domum ejus, pubes facta reclamare potest, et audire debet, cum matrimonium præsumatur esse invalidum. Si tamen vir asserat, quòd eam cognoverit, viro potius creditur affirmanti et juranti (*Can. 3. si quis 33. q. 1.*), nisi mulier contrarium probet: quo casu etiam sponsalia in impubertate facta resolvuntur.

5.º Matrimonia impuberum præsumuntur vim habere sponsalium, et ex illis oritur impedimentum publicæ honestatis (*c. un. fn. §. idem h. t. in 6.*); nam si actus iste non valuit, ut debuit, valet saltèm ut potuit; maximè si id ex circumstantiis colligatur. Cessat autem ista præsumptio, si impuberes nuptias solùm, et non sponsalia contrahere voluerunt; cum actus agentium non operentur ultra intentionem eorum (*arg. lib. 19. ff. de R. C.*) Hodie in locis in quibus Trid. viget, casus isti non sunt timendi, quia impuberibus parochus non assistet.

36. Q. III. *An matrimonia filiorumfam. sine consensu parentum inita sint valida?*

R. 1.^o Affirm. de jure Can.; ita definit Trid. S. 24. c. 1. *pr. de ref. matr.*; cui consonat jus antiquum *Can. 2. sufficiat*, 27. q. 2. c. 13. 14. 23: 25. *de sponsal. c. 12. de Regul. c. 7, de raptor.* in quibus juribus ad valorem matrimonii requiritur solus consensus contrahentium, non verò parentum. Nam liberi quoad spiritualia et electionem status non substant patriæ potestati: unde etiam sponsalia, sine consensu patris inita regulariter sunt valida, excepto casu, quo matrimonium iniretur cum gravi offensa; patris tunc enim, cum obligarent ad aliquid illicitè agendum, non essent valida. Neque pater talia sponsalia irritare potest, quia patriæ potestati non præjudicant (S. D. 2. q. 104. a. 5. *in corp.*)—His non obstant *Can. 1. aliter* 30. q. 1. *et Can. 3. cum seq.* 30. q. 5. c. 3. *qui matrim. accus. pr. In. de nuptiis* l. 2. 18. *ff. de rit. nupt.* Nam jura civilia hic non curantur: Canones verò rectè conciliantur cum aliis juribus, dicendo nuptias sine consensu patris non esse legitimas aut justas quoad honestatem et licitatem; quia regulariter sunt illicitæ, quatenus filius aut filia omittit aut contemnit judicium paternum in re tam gravi.

2.^o Pater ad certum matrimonium cogens filium aut filiam, per se graviter peccat; nam tollit plenam libertatem à jure concessam, est causa tristem eventum ex matrimonio coacto consequentium: non tamen incurrit excommunicationem latam à Trid. S. 24. c. 9. *de ref. matr.*; nam ibi sermo est tantum de dominis temporalibus et magistratibus ad certa matrimonia cogentibus. Si tamen adsit urgentissima causa maximè boni publici, v. g. propter bonum pacis, licebit patri filium aut filiam compellere ad certas nuptias, cum in tali casu liberi teneantur patri obedire.

3.^o Filius in contrahendo matrimonio nolens sequi consilium aut præceptum patris, non potest ideo exhæredari; nam casus iste non numeratur in *Nov. 115. cap. 3.* An verò de jure statutorio talis exhæredatio, vel dotis negatio induci possit, dubitant DD. Negativè subscribunt Abb., Sylv., Nav. Clar., Covar., Sanch., Gobat etc. Affirmant. Bald., Sot., Laym., Zoes, Schmalz. et alii, quorum sententia videtur probabilis; saltè pro illo casu, quo nuptiæ contrahuntur cum personis indignis et vilibus; nam statutum istud cohonestatur ob utilitatem publicam, ne sanguis illustris commaculetur, discordiæ et scandala oriantur, ut reverentia liberorum erga parentes conservetur, abusus et temeritas libertatis restringatur: et ita fertur practicari in Lusitania, Bavaria etc. Nec in hoc casu sæcularis potestas disponit de rebus spiritualibus, sed præcisè punit abusum libertatis et contemptum parentum. At si liberi sine consensu parentum dignas suo statu ineant nuptias, judico tali pœnæ non esse locum; quia jure suo utentes, nullique injuriam facientes, non sunt puniendi; et aliunde libertas matrimonii talibus pœnis non est coarctanda (c. 29. *de sponsal.*)

TITULUS III.

DE CLANDESTINA DESPONSATIONE. ^a

37. In hoc tit. examinatur impedimentum *clandestinitatis*, quod oritur: —1.^o Ex omissione publicarum denuntiationum:—2.^o Ex omissione publicæ præsentia parochi et testium.

38. Q. I. *An matrimonio præmittendæ sint denuntiationes publicæ?*

R. 1.^o Affirmativè ex Conc. Later. c. *fn. pr. h. t.*, cui inhæret Trid. S. 24. c. 1. *de ref. matr.* Nam Episcopi et parochi est curare, ut honestè et sine impedimentis matrimonia contrahantur; ad hunc verò finem potissimum inventæ sunt denuntiationes publicæ, ut si quis de populo impedimentum novit intersponsos, illud intra præfixum terminum manifestet coram parochi. Porrò præceptum eas faciendi cum sit grave, concernens reverentiam Sacramenti, regulariter obligat sub mortali; non tamen est irritativum, ut sæpius declaravit S. C., quia decretum irritans in *cit. Trid.* afficit posteriorem dispositionem de præsentia parochi et testium, non verò priorem de faciendis proclamationibus. Neque contrarium elicitur ex ablativo: *denuntiationibus factis*: siquidem ablativus iste significat conditionem accidentalem de præcepto, non verò substantialem de necessitate ad valorem matrimonii.

2.^o Denuntiationes faciendæ sunt tribus diebus festis continuis in Ecclesia inter Missarum solemnias (*cap. fn. pr. h. t. Trid. l. c.*); nam tali tempore et loco frequentior populus convenit. Ob quam rationem satisfaceret Tridentino, si die non festo conveniret magnus populus, v. g. ad concionem vel processionem, et coram illo fierent denuntiationes: item si Parochus uno, alterove festo intermedio omitteret denuntiationes, quia continuitas ista moraliter est intelligenda, ne nimium temporis intervallum inter has denuntiationes intercedat.

3.^o Denuntiationes faciendæ sunt à proprio parochi sponsorum, licet committi possint alteri, sicut alicubi fieri solet per laicos ædituos; nam Trid. talem commissionem non prohibet. Si sponsi sunt actu diversarum parochiarum, denuntiationes faciendæ sunt in utraque parochia; quia sic facilius impedimenta deteguntur.—Si sponsi transtulerint domicilium, circa denuntiationes servanda sunt in primis statuta cujusque diœcesis. Ut verò menti Conciliorum satisfiat, discrimen adhibendum est: et quidem, si sponsi noti sunt in loco contrahendi matrimonii, sufficit ibi fieri denuntiationes; si verò sint ignoti ambo vel alter eorum, denuntiationes fieri debent non tantum in nova parochia, sed etiam in priori parochia, ut ita

^a—Agitur de hac materia in Decreto, *Can. 4. consanguineorum. 3. q. 4. et 30. q. 5. per tot.*—In Trid. S. 24. c. 1. *de reform. matr.*